

purgato iam corpore laudarem aquas pro balneo, & pota illas aquas Calderianas. Credo enim affectum esse lienem. Ego non timeo de ventriculo, quoniam neque ipsa conqueritur de imbecillitate ventriculi. Aquæ autem nostræ Patavinæ non conuenient pro potu: possent quidem prodesse pro absterfione, sed tutius est tamen abstinere.

CONSILIVM CCCLXXIII.

De scabie pro puero, dicta in hospitali. Observatio.

RA T puer laborans febre putrida & hydrope, cuius cutis aspera erat, & habebat dispositionem ad scabiem, de qua Montanus hoc dedit consilium. Scabies est de genere fluxionum, & semper deducenda est ad fluxiones: sed in qualibet fluxione quatuor sunt consideranda, scilicet membrum mandans, membrum recipiens, materia quæ transmittitur, & viæ per quas. Ad quam partem hinc transmittitur: ad totam cutim, quæ recipit, propterea quia imbecillior est à propria natura. Semper enim videtur ad cutim fieri crisin in fine ægritudinis, cum scabie, pustulis, sudore, in adolescentibus, & non raro etiam in aliis. Est præter hæc debilitatus admodum, quia perpeffus magnum frigus, & aquas inter cutem, ut penè exhaustus sit calor, nec possit concoquere alimentum propemodum, nec expellere excrementa. Propter paupertatem & ingluuiem cibos multos ingessit & varios. nec boni succi, nec nutrimenti commodi: unde in venis & hepate materia multa. Viæ quoque latæ sunt, quia cholericus: habet latas venas, & poros amplos. Scabies, rigor, sudor, lepra, pruritus simplex, sicque sub cute ab eadem materia nascuntur. Ita omnes fluxiones sunt, sed tantum secundum diuersum modum substantiæ & virtutis expellentis variant. Si materia tenuis, & pori aperti, nullum fit symptoma, quia materia exhalat: si verò materia crassior, virtus non fortis, & cutis resistit fit rigor. Est etiã rigor sine febre interdum, ut Gal. lib. 2. de Differen. febrium, & lib. de rigore, ostendit. Si materia crassior, virtus fortis, & viæ latiores, peruenit ad cutim, ac ibi contrahitur, & pustulas generat: estque materia pituitosa, aliquando falsa. Est ægritudo in compositione, quia cutis asperior est quam esse deberet. Gal. 2. de causis mor. Morbus est quando impedit operationes: quando verò non impedit, est symptoma. In hoc puero sunt pustulæ, nec est simplex pruritus, quia dilatatis poris euaporat: hinc cutis aspera est, & facit desquamationes, quia materia multa quidè, sed tenuis est, & apud antiquos propriè lepra dicitur. Nam apud medicos hodie lepra longè est alia, quam quæ apud antiquos elephãtiãsis dicitur, & desquamatur ferè usque ad ossa. In hoc puero est ex humore falso, pituitoso, adusto. Si ex melancholia, faceret elephãtiãsin, & veram lepram. Auicenna dicit falsedinem ex duabus causis provenire, vel cum bilis cum pituita miscetur, vel quãdo aduritur materia pituitosa. Prima causa habet difficultatem, quia nunquam ex tali mixtione facietis falsedinem, rem sci

Rigor aliqui
sub sine febre

Lepra hodie
est alia ab
antiquorum
Elephãtiãsi

falsedinis
causa.

licet amaram cum insipida miscendo. Nam falsedo etiam differt ab amaritudine, unde non scio qua experientia ductus hoc dixerit. In secunda causa verum dixit: quia ubi calor adurens occupat materiam terrestrem & crassam, & eam exurit, falsam facit. Sic etiam fit falsedo maris, ob adustas partes terreas, mistas cum humore aqueo, ut Theophrastus ait de saporibus. Salsedo in terrestri substantia fundatur, sicut & amaritudo: habent enim eandem causam materialem, materiam scilicet crassam & adustam, & efficientem utrumque calorem adurentem, nisi quia amara sunt magis adusta, ita etiam, ut si quæ falsa ulterius aduruntur, fiunt amara, sicut nitrum est salis genus excoctum. Cura à natura rei. Primò ponamus corpus esse purgatum. Est falsedo, & est fluxio, quæ quandoque sola curatione curatur, ut materia cum non sit iam amplius, munitur: unde etiam dicit Galenus, sæpius se fluxiones sola euacuatione curasse. Abstineat à rebus falsis, acetosis, carne bouina, vino crasso, potenti, & omni re calida & adurente: utatur vino subtili, & tenui. Si adhuc medicamentis indigeat, utendum abstergentibus & exiccantibus: quia si illa quæ adhærent, abstergantur, corpus reddetur æquale. Aspera cum abstergentibus curatur: sic conueniunt omnia acida, ut succus limonum, acetosa, oxylapathum, sal, nitrum, decoctum lupinorum, Terebinthina, si timetis nimiam exiccationem, potestis addere butyrum, oleum rosatum, sed satis est fontes indicasse.

CONSILIVM CCCLXXIII.

De scabie humida cum pruritu.

RE C I P E Floris cassiæ ʒ. x.
Cum saccharo fiat bolus, sumat per horam unam ante prandium. Item,
R. Succiboraginis,
Fumi terræ,
Cichoreæ ana ʒ. iij.
E Purificentur & seruentur pro tribus vicibus, sumatur ergo tertia pars huius syrapi, & seri caprini ʒ. vj.
Misce, & accipiat in aurora loco syrapi per 14. aut 15. dies, pro ut magis conferet. Item:
R. Reubarbari electi ʒ. ij.
Macis ʒ. j.
Incidantur & aspergantur vino aromatico, postea infundantur in aqua lactis caprini, per horas 24. facta diligenti expressione & colatura.
F R. Confect. Hamech ʒ. iij.
Syrapi rosati solutiui ʒ. ij.
Misce, fiat potio danda in aurora cum custodia. Itè R. sacchari rosati ʒ. vj. Utatur ante cibum manè & serò, & sumat ʒ. s. singulis vicibus, post assumptionem medicamenti. post duos præcedentes syrapi, mittatur sanguis à vena hepatis dextri lateris, & extrahatur circa ʒ. viij. Item peractis his omnibus ingrediatur balneum aque dulcis, & primò sudet & fricetur, deinde lauetur. Postea in secundo loco balnei mittetur sanguis per cucurbitulas, applicando eas tibiis, brachiis, spatulis & natibus, postea illinantur manus, & totum corpus linimento infra scripto.

R. Te